ORATIO PRO INITA PACE

Inter Augustissimum Cæsarem Carolum & Franciscum Regem Christianissimum, Romæ in Templo Diuæ Mariæ, quæ de Populo dicitur, Anno .M. .D. .XXVI. VI. Idus Martias habita per Reuerendum Patrem Franciscum Episcopũ Sperulum.



ORATIO PRO INITA PACE INTER Augustissimmum Cæsarem Carolum & Franciscum Regem Christianiss. habita per Reuerendum patrem .F. Episcopum Sperulum.

QVOD priuatis quotidie precibus, publicis etiam supplicationibus, quod ex hac sacro sancta ara, aris templisq; omnibus, a, summo Deo diisq; tam diu anxii poposcimus P. S. diuino consilio, sapientis animi tui patientia diuturna, nostrorum principum generosa præstantia, saluti ferum, necessarium, incomparabile pacis donum sumus deniq; consecuti, idq; me hodie ad solamen, lætitiamq; omnium dicendo enuntiare iussisti. Ego uero tametsi imbecillitatis mearum uirium conscius, tamen obedientiæ studio, extemporalis ingenii periculum, temeritatisq; aleam subire non ueritus, partim gaudio insperato, partim præteritæ calamitatis memoria, sentio mihi, extempore potius lachrymas, quam uerba suppetere. Qui enim pauloante in medio rerum freto tumidis odiorum fluctibus iactabamur, quibus atra nox undiq; incubabat, quos hinc Aquilo, inde Auster, illinc Eurus coniuratæ impietatis flatibus impellebant, quibus nulla Astrorū benigna serenitas, nulla in portum patebant effugia, qui omnem spem, quæ quidem in tanta prope desperatione, & ipsa dubia uidebatur, in te uno, qui imperterritus gubernaculo hærebas, sensimus

collocatam, in portum iam tandem tua potiſſimũ pro uidentia & conſtantia delati ſumus, atq;,a, præterito/rum malorum mœrore, futurorum bonorum opinione retrahimur, reficimur, recreamur. Sunt profecto prin cipes quaſi uitales ſpiritus ciuitatum, ab his populo/rum uitam, libertatem, dignitatem, fortunas, aras, fo cos, diuina, humanaq; iura pendere quis neget? unius quippe principis ſtudio, omnes pariter permouentur, & quaſi nauis temone dimoto, hac & illac dirigunt cur ſum. Vtq; ad præſentes colores Polypus & Chameleon mutare colorem feruntur, ſic ad principum mores, mo res uariant populorum. ſi princeps blando pacis ſtudio teneatur, populum uideas hilareſcere, ſplendeſcit no/bilitas, artificum turba diteſcit, domus, uiæ, fora, pa rietes, uillæ, agri, omnia demum pacis tranquillitatem ſentire uidentur, ea geſtire, & exultare. At contra ſi odiorum, bellorumq; mutuis calcaribus principes inci/tentur, tum ueluti habenas equus infrænus, detrectat po pulus leges, libido pro iuſtitia, pro ubertate penuria, inertia pro induſtria, pro ciuili ſocietate ſeditio, pro amicitia crudelitas dominatur. Hæc ſi noſtri principes animo diſcluſis affectionibus aliquando reputaſſent, non Rhodum clariſſimam, tantum reip. Chriſtianæ præſi/dium pertinaci nuper hoſtium obſidione extortam, nõ Italiam deuaſtatam, non agriculturam deſertam, non pu/blicas populationes, incendia, ruinas, populorum ſtra ges, fruſtra nunc miſeri quereremur, at tum queremur maxime, cum per diſcordiam licuerit aliquantulum re

ſpirare, & iucundæ pacis frui benignitate. fieri enim ut plurimum ſolet, ut minus tum pericula ſentiamus, dum cum eis luctamur, defuncti his, demum ſtupidi admiremur magnitudinem mali, nec ſatis ſciamus, unde ſaluti uia fuerit patefacta. Quare nunc erit perſpicacius intueri, quanta, a, ſæuiſſimo orientis Tyranno piæ pro pugnatrici noſtræ Pannoniæ incendia parabantur, quod malum inermi ultra citraq; pharum Siciliæ infeſtiſſima eius claſſis tanto inſtructa ſtudio minabatur, & quæ etiã num plurima noſtris capitibus imminebant. At eorum præſertim, qui ſublimiore poſiti loco cæteris præſtitiſſent. o, pernicioſam dirã, execrabileq; diſcordiam, quibus uiis in tantorum principum pectora irrepſiſti? quibus præſtigiis tantam utriuſq; uirtutem, magnanimitatem, pietatem fallere potuiſti? Non ſatis uidebatur hanc terrarum dominam Vrbem, tot pacis operibus, externorumq; bellorum clariſſimis monumentis inſignem, olim penitus ſepeliſſe? ut nunc eius particulas ex ima paſſim terra, quaſi, e, buſtis cadauera eruamus, omniq; laude ſuperiores miremur artificum manus, non ſatis fœdam lamentabilemq; tantarum ruinarũ faciem tuebaris? ut nunc iterũ inuictis noſtrorũ principũ animis, uiribus, ſtudiis funditus eruere nos tentares? Sed fruſtra tentaſti, nam diſcuſſis odiorum ſeminibus ſapientiſſima pectora tuas inſidias perſenſerunt, & Clemens Pater optimus ueluti ſcopulus, quem in Pelagi medio circumquaq; luctãtes impetunt undæ tam diu ĩfractus, ĩuictus, immobilis perſtitit, donec tantorum filiorum nobilis ira ipſa ſe

uicit, & ultro diuturnus æſtus poſuit animorũ. In me/
dio ſtetit Ieſus, & dixit, Pax uobis. Clemens in medio
ut arbiter conſtitutus in neutram ſeſe partem deflexit,
ſicq; non odio,non amore,e,iuſtitiæ deiectus gradu,tam
diu pacem,pacem,pacem ſuadendo raucis iam faucibus
repetiuit,donec filii promiſſionis, & nunc uere demum
filii liberæ,qui periclitati ſunt,ne putarentur ancillæ,piis
hortationibus emolliti duros animos exuere, & abiectis
operibus tenebrarum induunt arma lucis,ac uere nũc filiĩ
Dei uocantur & ſunt,qui hæreditariam Dei ſeruatoris nõ
ſtri pacem deniq; adierunt,& quod tanto facinori addi/
dit, ut græcis dicitur, colophonem, tunc patefacta eſt
regia nobilitas animorum,cum nullum fore finem tantis
odiis propemodum putabamus. Neceſſaria nimirũ ſunt
quandoq; bella, ut ſuauior pacis fructus guſtetur, raro
enim magnorum principum diſſidia dirimuntur, quin
pax & ipſa magnis adſtricta fœderibus præclarum ali/
quod facinus promittere uideatur. niſi petitus bello ac
uictus Oriens a Macedone Alexandro fuiſſet, nunquã
feros mores barbari poſuiſſent,non Alexandriam habuiſ
ſet Aegyptus,nõ Seleuciã Meſopotamia, nõ Sogdiani
Prophthaſiã,non India Bucephaliã ,non ad ſeptuaginta
præterea urbes a uictore extructas hidẽ Barbari uictoriæ
beneficio poſſediſſent, Hyrcani nubere non didiciſſent,
Sogdiani genitorẽ nõ ĩterimere ſed nutrire,nõ abſtinuiſ
ſent a matrũ cõnubio Perſæ,Agriculturã neſciſſent Ara
choſii,Schytæ cõediſſent ut prius humana cadauera,nõ
ſupremo ſepulturæ munere honoraſſent, ut nõ ĩmerito

ea pars orbis sine sole fuisse Plutarchi testimonio credi possit, quã Alexãdri oculus nõ inspexisset, & infelices hi ad quos armis nõ eius uictoria peruasisset. Tãta uicto rum plærunq; benignitas est, tam magna clementia, ut multi inuidere posse uictis merito uideantur, ita sæpe belli iniuriæ, pacis beneficiis compensantur. Quapropter liceat mihi nunc felicem dicere Sereniss. Imperatoris nostri Caroli, & Christianiss. Regis Francisci discordiam, necessariam pugnam, opportunam captiuitatem, ex quibus datur salutiferæ pacis ingentia fœdera audire arctissimo sanguinis uinculo ita connexa, ut præter id, quod de tantorum principum fide dubitari non possit, necessitate etiam mutua urgeantur. Hæc Sereniss. Carole tua magna uictoria, hæc uera est palma, cætera huius felicitatis exercitus tecũ tuus ipsa fortuna partitur, hæc tota tuæ uirtutis est gloria, proprius hic triumphus, quẽ nulla unquam ætas poterit abolere. si uictoria uti, ut sane poteras uoluisses, non sic uicisses, nunc solus uicisti, nunc inermis ne galliam modo, sed omnes ubiq; nationes demeruisti, ad quas tuæ clementiæ fama peruadet. Tu uero Francisce fortissime desinas fortunam ulterius incusare, quod tuos ingentes spiritus una represserit, & hoc prospero pacis successu, ducas omnia compensata, neq; illius ærumnæ Regem Christianissimum pigeat, quæ demum Christianæ reip. spem summæ felicitatis attulerit. est & tuus etiã tibi in his aduersis triumphus, quod alpes alta niue opertas prius cum ingenti formidabiliq; exercitu superasti, quam relicti post tergum hostes præcauere

potuerint, eosq; tua celeritate in Insubriam, quasi in ip/sum odiorum agonem ex tuis finibus ita stupidos retra/xisti, ut in diuersa præsidia sint abire coacti, ut cuiq; in tam subita trepidatione sors dedit. Ticini tum partim cõclusos, repugnante hyemis sæuitia, obsidionis perseuerantia, ad rerum ultima redegisti, & quam demum coacti undiq; ac necessitate impulsi pugnam proposuere, fortissime iniisti, nunc ducis sapientissimi, nunc militis strenuissimi munera obeundo, sicq; undiq; pugnam ciendo illatis atq; acceptis cruentus uulneribus, certamen sustinui/sti tam diu, donec interceptus ab hostium multitudine prius capi quam uinci potuisti. hæc tuæ fortitudinis iudicata magis quam narrata præconia, si cum fortunæ inuidia cõferantur inuita uictoria triumphasti. Lætare igitur. P. S. habes enim tota quod mente petisti, poten/tissimos Reges Sancto foedere, pia necessitudine, omni uoluntate ac studio contra ueros hostes arma conuertendi coniunctos, teq; suæ concordiæ auctorem, fœde/ris caput, sanctæ expeditionis auspicem profitentur, id quod suis ad te literis Imperator constantissime pollicetur, pulchrum profecto fuit sapientiæ tuæ exemplum inter diffidentes neutri accessisse, non minus erit nunc pulchrum & opportunum inter se iunctos complecti, & paribus paternæ charitatis ulnis adstringere, ut qui pacis inter Christianos hortator piëtissimus semper fuisti, necessarii quoq; in impios hostes belli auctor sanctissi/mus, & auspex felicissimus prædicere. omnis sexus, ætas omnis, omnis ordo lætetur tantæ pacis futura fe/

licitate. Lætare in primis tu Respublica Christiana, quæ tuo sponso tam diu sterilis perstitisti, dudum sub Leone Decimo concepisti, nunc sub Clemente. VII. iucundissimum & optatum salutiferæ pacis germen peperisti.